



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo eos iam factos viros ad religionis cultum traduxerit. Cap. LII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

Tum horum Antesignani, manipulares, duces ordinum præfecti, quorum ipse pater & rei militaris vsum & constantem erga ipsos benevolentiam expertus esset.

*Quomodo eos iam factos viros ad religionis cultum traduxerit.*

CAP. LII.

**I**gitur dum iam Cæsares essent, sed ætate adhuc tenera, dabantur eis, quorum & ope & opera publicas res administrabant. Sed ad virilitatem maturescentibus paterna institutio satis erat, qui præsentibus eos ad paterna studia extimulauit, & ad imitandum pietatem eius instituit, absentes autem regiis literis compellans, salutaria præcepta tradidit. In quibus illud maximum & præcipuum fuit, vt Dei qui rerum omnium dominus est, cognitionem, & sanctam aduersus illum religionem omnibus opibus atque adeo ipsi regno antepoherent. Iam aliquando liberum eis fecit, vt per se aliquid ad Reipub. vtilitatem gererent: imprimis verò hortabatur, vt summa cura afficerentur erga Ecclesiam Dei præcipiebaturque vt plane & sine furo Christiani essent. Atque eos quidem pater sic instituebat, Cæterum hij maturo iudicio sensuque præditi cum essent, non iam eius admonitionibus, sed sua ipsorum diligentia nixi, patris exhortationes longè superabant, mentes semper ad pietatem habentes intentas, & ecclesie ritus in ipso palatio cum suis omnibus obseruantes, sed illud quoque paterna cura sollicitudoque prouidit, vt tum filiis suis contubernales adhiberentur hi, qui vera religione pietateque pollerent, tum magistratuum primores, quorum fidei rerum publicarum cura delegata foret eiusdem generis essent omnes. His igitur eximia erga Deum fide hominibus, eos veluti validis quibusdam propugnaculis muniuit, roborauitque: vbi verò hæc omnia rectè & ordine gesserat Constantinus, ac res præterea commodè constituerat vniuersas, Deus boni cuiuslibet arbiter iam opportunum tempus adesse videns, quo magnificentioribus illum donis remuneraret, præsentis vitæ vinculis eum absoluebat.

Quod